Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1711
Quelle:
Copyright:

confinxiſſe? *Jordanum de Saxonia Quedlinburgenſem* O. Eremit. S. *Aug.* hic innui putem, qui primus ineptias has e Codice *Pariſino* produxit, ut pluribus videre eſt in praevio *Maurianorum Monito.* Obiit is a. 1380. Adi de illo *Oſſingeri Bibliothecam Auguſt.* atque ubi de controverſo ejus *Viennenſi* Tumulo ad *Adnotationem in fine num.* 49. provocatur, lege 26.

III. *fol.* 149. Epiſtola F. *Stephani de Senis* Prioris Domus ſanctae *Mariae de Gratia Carthuſ.* Ordinis prope *Papiam* nunc pariter abolitae ad F. *Thomam Antonii de Senis* Ord. Praed. in Conventu SS. *Job. et Pauli Venetiis* data a. 1411. 16. *Octobr. ſub manu publica duorum notariorum in preſentia quamplurium teſtium et cum appenſione Sigilli magni conventualis* de Vita et Virtutibus S. *Catharinae Senenſis* lectu digniſſima, ſed jam edita a *Dan. Papebrochio* in *Actis SS.* T. III. *April.* p. 961. *Stephanum*, cujus, ut ait e *Boſtio Sutorius*, omnes actiones ſplendoris dignitatisque plenae fuere, commendant omnes Scriptores Carthuſiani.

DCCXIV.

R. 2293 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 113. f. pulcre exaratus, coloribus illuſtratus, et quondam *Monaſterij ſancte dorothee in vienna* ſequentia M. *Henrici Langenſtein de Haſſia* Academiae *Vienn.* primi Plantatoris ✠ 1397. et *Henrici de Vrimaria* Erem. *Aug.* Opuſcula a me jam alias ſparſim relata continet: I. *Incipit tractatus Reuerendi Magiſtri Heinrici de Haſſia de diſcrecione ſpirituum.* Initium: *Sicut in phiſica motus et operationes* &c. Primae lineae ſitu et humore evanuere.

II. *fol.* 11. *Incipit tractatus de inſtinctibus.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Licet uerbum propoſitum exponatur* &c. Ad calcem: 1419. *bacyri*, ſed alia manu ſuperpoſitum *barnabe*, diem videlicet abſolutae ſcriptionis notans. Nullum hic Autoris nomen. Exempla quaedam *Henrico* priori, alia poſteriori inſcribunt. Vide *Vol.* I. P. I. *col.* 225. P. III. *col.* 3196.

III. *fol.* 23. p. 2. absque inſcriptione, ſed ad calcem: *Explicit tractatus de occultacione uiciorum ſub ſpecie uirtutum.* Initium: *Eſt uia que uidetur homini recta* &c. Ad *Henricum* poſteriorem pertinet, ut alibi dictum.

IV. *fol.* 37. *Incipit tractatus de clauibus eccleſie Magiſtri.* Nomen eraſum, ſed eſt *Henrici de Haſſia*, ut Codices *Vol.* I. relati docuerunt. Incipit: *Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 16. Verbum hoc cuilibet dicitur confeſſori* &c.

V. *fol.* 61. *Tractatus M. H. de Haſſia de uerbo in diuinis.* Initium: *Quis michi det verbum quo ſeminiuerbius ego* (σπερμολογος *Act.* XVII. 18.) cui perperam impoſita gloſſa: *uel ſemiuerbius id eſt ineloquens.* &c. *Vol.* I. bis inſcriptus fuit: *De verbo incarnato.*

VI.